

MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE -avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan -1040 BRUXELLIS
TEL:02/734 55 42

DE LVDIS LATINIS FRISINGENSIS^{13K} MCMLXXXVI

Die Iovis 23° m. Octobris, ante lucem, Aeliana uxor, Diana et Corinna filiae egoque, autoraeda vecti, Bruxellis proficiscimur. Imbres imminent sed, procedente itinere, caelum autumnale mirum in modum fit serenum. Hora tertia et dimidia, cum amoenam parvam urbem Frisingam (v. Freising) intramus, sol splendide illustrat vetera aedificia Montis Docti (hodie vulgo Domberg dicti), ubi vespere Ludi Latini inaugurabuntur.

Per angiportum valde acclivem ascendimus ad aream cathedralem, in summo monte sitam. Paulo ante summum montem, ad dextram, invenimus Gymnasium Cathedrale (v. Domgymnasium), ubi primū participes recipiendi sunt.

Cum gymnasium intramus, adveniunt Dr P. Caelestis Eichenseer, Prof. Iohannes Paulus Bauer et D.rix Sigrīdes Albert, una Saraviponto autoraeda advecti. In cella receptionis maximo cum gaudio et Saravipontanos et Prof. Valahfridum Stroh consalutamus.

Acceptis conclavium clavibus, properamus ad aream cathedralem, quae constat ex platea rectangulari quattuor aedificiis circumdata; unus datur accessus ad plateam sub geminis arcibus. Aedificium occidentale, olim palatium episcopale, hodie vocatur Domus a Cardinale Döpfner (v. Kardinal-Döpfner-Haus) et factum est Centrum ad homines instituendos. Hac in domo participibus praebebuntur hospitium atque alimonium inter Ludorum triduum.



Inter Ludorum Initium Sollemne
Ad dextram stat Valahfridus Stroh

Sarcinis in conclavibus depositis, statim in plateam redimus, ubi hora quarta incohatur PERIEGESIS FRISINGENSIS. Turba participum iam congregatur circum Bernardum Teuber Neo-Ulmensem, solitum Ludorum Latinorum

mystagogum. Multi participes nobis iam noti sunt, inter quos singulari gaudio salutamus amicum Lucam Willemarck, Fundationis Melissae secretarium, qui Genava advenit.

Vix quicquam de urbis Frisingae lustratione narrabo, cum Dr. Henricus Reinhardt, Frisingensis optimus Societatis Latinae sodalis, in fasciculis 83 et 84 Vocis Latinae, docte lauteque de historia monumentisque huius oppidi iam tractaverit. Historia urbis incohatur a Baluvaris adventantibus, id est ineunte septimo saeculo. Circa annum 700^{um}, Theodo, totius Bavariae dux, in Monte Docto Frisingensi arcem ducalem exstruxit. Regnante eius filio Grimoaldo, circa annum 720^{um}, CORBINIANUS, eremita Parisinus, qui, a Summo Pontifice episcopus ordinatus, ad evangelizandos barbaros emissus erat, Frisingam advenit et episcopatum ducatus Frisingensis constituit. A quo tempore Frisinga fuit caput episcopatus usque ad annum 1803^{um}, ubi gloria episcoporum principum Frisingensium a Bavarorum duce abrupta et erepta est.

Areae cathedralis aedificium orientale est ipsa ecclesia cathedralis, XII^o s. exstructa modo romanico Bavarico; in ipsam plateam patet Porta Maior, qua cathedralem ingredimur. Pars interior aspectum romanicum iam non habet, cum ornatu baroco postea contexta sit.

Post cathedralem invisam, de Monte Docto in urbem descendimus et ultra solis occasum lustrationem pergimus. His Ludis primum intersunt nonnulli Nederlandtenses; ambulando mihi contingit cum Berendo Iano VISSER Nederlandtensi paulisper colloqui, cui prima est occasio Latine loquendi.

Ambulationem conficio una cum Patre Caeleste et Antonio SALVI, viro Vaticano, qui nobis magno cum maerore narrat in quanta derelictione iaceat latinitas in Civitate Vaticana. Ex eo etiam comperimus Abbatem Carolum Egger ibi res Latinas iam non curare.

Nobis in Montem Doctum reversis, non multum temporis restat ad cenandum ante Ludorum initium sollemne. Quare, vestibis celeriter mutatis, properamus in mediam urbem; non nimis longe abest platea principalis, Platea Mariae appellata, ubi lautam cauponam Graecam, cui nomen Olympia, intramus. Iucunde sed celeriter cenamus una cum Rhoda Schnur, Sigride Albert, Alvino Dobsevege Americano, Andrea Fritsch et P. Caeleste Eichenseer.

Viribus reffectis, redimus in Montem Doctum, ubi in Museo Episcopali, non longe ab area cathedrali sito, ab hora octava fiet LUDORUM INITIUM SOLLEMNE. Museum Episcopale est magnum aedificium quadratum, cuius omnia tabulata circum amplum altumque atrium disponuntur. Quod atrium scaena simpliciter ornata sellisque instructum est, ut fieret Ludorum theatrum.

Hora octava, cum festinantes advenimus, vix supersunt perpaucae sedes vacuae in ordinibus remotioribus. Sunt enim circiter ducenti Ludorum participes, quibus se adiungunt spectatissimi Frisingae cives invitati.

Luces extinguuntur; in scaena sola illuminata editur LUDUS FRISINGENSIS a Bernardilla

Schnyder saltatrice, Georgio Leonhardt clavium pulsante et Valahfrido Stroh lusore ineptissimo : Georgius et Bernardilla deliberant, quid novis Ludis Latinis agendum sit. Valahfridus, quem accersunt, ante quam oportet, spectatores salutatur; fretus carminibus olim popularibus cum Bernadilla cantatur :

Amor docet musicam,
vocat suos in scholam;
cantes licet perperam,
disces tamen musicam ...

Valahfridus, cum nihil novi inveniat, Amoris auxilium implorat. Apparet Valahfridi filiolus, Amoris insignibus bellissime indutus. Sed Amori obviam it Sanctus Corbinianus (cuius partes suscipit Rudolphus Goerge) una cum monachis suis (cantoribus e schola Frisingensi), qui cantant hymnum religiosum :

O cantem semper Deo devota carmina :
tum cedat corde meo omnis lascivia.
Corbiniano duce fugantur tenebrae
et veritatis luce implentur animae.

Ipse Montis Docti quietem et religionem obscenae Ludis Latinis violatam credit. Valahfridus et Amorem defendit et studia Latina ...

Ad diiudicandum litem Adolphus Opilio, Frisingae praefectus (Oberbürgermeister Dr. Adolf Schäfer), accersitur. Is Ludos Latinos in Monte Docto fieri non vetat, sed vult esse Christianos : Amorem baptizare iubet et hac vespera edi Portam Aetermitatis, fabellam sacram. Ad placandum virum sanctum nunc cantantur novi Hymni in Sanctum Corbinianum ...

Rogantibus omnibus, Adolphus Opilio nunc Ludos Latinos inaugurat : Valahfridus Georgiusque, coronis laureis impositis, Ludorum magistri creantur. Corbiniano et Adolpho digressis, una cum spectatoribus cantatur ~~vetustissimum~~ canticum : "Ludi sunt Latini, Latini ..." *usitate fidi mium*

Tempus venit salutationum. Imprimis notandum est duos amplissimos viros litteras ad Valahfridum Stroh misisse : unam Theodisce scriptam, cuius translatio haec :

Carolus Carstens, olim praeses Rei Publicae Germanicae, Valahfrido grammatico S.

Hoc quoque anno Ludos Latinos feliciter processuros esse spero, unde sodales omnes et gaudia capiant et sapientiae fructus.

Ac mihi quidem studia humanitatis et latini sermonis scientia, quae cum illis coniuncta est, saepe multum profuerunt et, cum variorum magistratum, ut nuper praesidis, rei publicae muneribus fungerer, semper illis studiis favebam.

Quam quibus rem te laudo ex animi sententia, quod, iam tertium hanc novam et propriam viam ingressus, efficit ut alii Latinis litteris studere pergant, alii incipiant ...

Saluto igitur omnes, qui Ludis latinis hanc linguam non mortuam esse, sed vivam sentiunt.

Scriptis die 29 Sept. 1986.

Altera epistula, mirabilior quia Latine scripta, missa est a Dr. Francisco Iosepho STRAUSS, Bavariae praeside :

Quod hoc anno tertium LVDI LATINI eductum,
vehementer gaudeo.

Quod propter negotiorum multitudinem mihi interesse
non licet, valde doleo.

Sed hac occasione LVDDORVM inaugurandorum usus
per litteras vos omnes, qui Latinitatem amatis,
amicissime saluto.

Lingua Latina, ut imagine utar, quasi porta est,
per quam aditus patet ad humanitatem, qua nihil
pretiosius, nihil praestabilius ab Antiquitate
accepimus.

Studia autem humana, ut praeclare ait Cicero, **ITEM**
omnium sunt temporum,
omnium aetatum,
omnium locorum.

Inde mihi ille ipsius linguae Latinae vigor mirus
quantus proficisci videtur,
inde illa vis singularis et invicta,
inde illud nescio quid 'aere perennius', quod
hominibus barbaris semper vix credibile est visum.
Igitur, ut ex fonte linguae Latinae humanitatis
liquorem et quasi nectar etiam hodie haurimus,
ita in nostra re publica Bavarica optimo cuique
persuasum est hanc linguam non solum non esse
neglegendam,

verum etiam praecipue colendam.

Nostra tempestate praesertim gymnasia, quae hunc
Latinitatis thesaurum fovent et iuventuti commendant,
nobis contra eos sunt defendenda, qui opinionis
errore implicati nimis multa
cum in civitate

tum in re educativa

immutare et reformare student.

Hac in re spes nostra magnam partem in magistris,
qui Latine docent, posita est. Qui si ipsi amore
Latinitatis ardent et institutionem cottidianam
quam maxime vividam reddunt, etiam animos puerorum
puellarumque ad studia Latina, quae sunt eadem
humanissima, accendere et excitare possunt.

Haec cura, hic labor multum valet etiam ad hereditatem
Europaeam et conservandam et posteritati tradendam.

Ad has res fortiter persequendas LVDI LATINI ingentia
praebent incitamenta. Quorum auctoribus et
moderatoribus bonum eventum ex animo precor.

Vireant, vigeant, floreant studia Latina!

Franciscus Josephus

Ad spectatores salutandos imprimis in
scaenam ascendit Johannes a Cultu (Th.:
Kultusminister), qui optima verba Latina facit.
Postea venit Michael de Monte Docto (Dr. Michael
Höck, Rector Ecclesiae Catholicae), cuius verba
Latina partim hic exhibemus:

Nomine Reverendissimi Episcopi Auxiliarii,
Domini Henrici Comes de SODEN et
FRAUNHOFEN, supra Montem Doctum residentis,
saluto vos, Fratres et Sodales in urum. Ipse
impeditus me - servunculum indignum Sancti
Corbiniani - delegavit vota optima quaeque
exhibere in hac hora festiva. Adunite supra
MONTEM DOCTUM scitis, quod haec Urbs
FRISINGA iam tempore Romanorum existebat uti
VILLA PUBLICA (Wachstation), ad custodiendas
vias, quae ducebant ad LIMES prope Danubium
flumen, ad protegendum Imperium Romanum.
Versus finem Saeculi III. p. Chr. n. venit Episcopus
Lauriacus MAXIMILIANUS, natus in Celeia (Cilly
in Slavonia), uti Missionarius Evangelii Frisingae
(dicitur anno 282) et fundavit primam Ecclesiam
Marianam supra montem, ubi Agilolfingi postea
aedificaverunt Palatium suum. Uti 'granum
sinapis' Evangelii Christi sparserunt iam quinque
saecula ante S. Corbinianum varii Missionarii
semen bonum in terram Bavaricam, sicut historia
moderna nos docet...

Salutationibus peractis, Valahfridus gratias
palam agit singulis (inter quos Fundatio Melissa),
quorum largitionum beneficio Ludi hoc anno
iterum institui potuerunt.

Deinde editur PORTA AETERNITATIS, fabella
musica sacra, conscripta a Francisco Lang S.I., a
Ruperto Ignatio Mayr modis musicis instructa.

Sic concluditur Ludorum initium sollemne,
maximo cum spectatorum plausu.

Nimis longum ~~est~~ omnia narrare quae posteris
diebus agentur, id quod etiam fieri non potest cum
complura eodem tempore agantur.

Veneris die et Saturni die, antemeridiano
tempore, fit hora octava MEDITATIO SPIRITUALIS
decem minutarum; hora nona per dodrantem
discuntur et CANTANTUR CARMINA LATINA,
docente Georgio Leonhardt. Ab hora decima usque
horam duodecimam et quadrantem habentur
SCHOLAE in diversis oecis Gymnasii Cathedralis.

Nonnulla de scholis narrabo. Cum anno 1983°
Ianus Novak et Valahfridus Stroh primos Ludos
Latinos Elvacii instituissent, illuc iter feci una cum
P. Caeleste Eichenseer; qui, suo solito more, statim
atque adveneramus participibus occurrebat eosque
Latine prolixè alloquebatur; fere omnes
obstupefacti, quin etiam perterriti, quam citissime
nobis decedebant. Sed Valahfridus curaverat ut
omnia, quae inter Ludos palam dicenda erant,
Latine tantum enuntiarentur. His primis Ludis
scholae nondum institutae erant sed participes
paululum sermone Latino vivo assuefiebant.
Insequentibus Ludis Augustanis, anno 1985°,
primum institutae sunt scholae, ubi in pauciorum
colloquiis occasio daretur sodalibus ut ipsi quam
plurimum Latine loquerentur; quas primas scholas
frequentissimas moderati sunt Dr P.C. Eichenseer
et Prof. Andreas Fritsch Berolinensis. His Ludis

Frisingensibus complures scholae fiunt ubi occasio datur de rebus seu generalibus seu specialibus colloquendi.

Participibus suam scholam eligere licet inter has:

-Elementa Latine colloquendi apud Andream Fritsch

-Introductio in usum Latini sermonis apud P. Caelestem Eichenseer

-Vita Sancti Corbiniani apud Fidelem Rädle Gottingensem

-Quid Romani veteres de philosophia naturali senserint apud Franciscum Krieter

-De itinere Islandico apud Gaium Licoppe

-De ratione temporis distinguendi et notandi apud Monicam Balzat

-Scholastica colloquia formulis grammaticae nixa apud Raimundum Pfister

-De doctrina rerum politicarum apud Guilelmum Blum Monacensem

-De historiographia Frisingensi apud Wolfgangum Huebner

-De scriptura symbolica mathematicae et de abaco Romanorum apud Petrum Hrandek Vindobonensem

-Progymnasmata saltationis ventralis apud Ingam Pessarra

-Colloquium Atticum apud Henricum Goergemanns Heidelbergensem

-De astrologia versificanda apud Wolfgangum Huebner

-De picturis quibusdam Botticellianis apud Wolfgangum Riedl

-De epistulis conscribendis apud Uvium Dubielzig

-Introductio in praxim cantus Gregoriani apud Alexandrum Weimann

-De colloquio Erasmano, quod inscribitur "Militaria" apud W.F. Waehinger.

De singulis scholis referre nequeo, cum duabus tantum interesse potuerim. Magni momenti fuit schola Petri Hrandek de scriptura mathematica atque de verbis Latinis quibus enuntianda sunt omnia symbola mathematica. Professor Christianus Helfer, lexicographus Saravipontanus, attentus huic scholae etiam interfuit. Attractiva etiam fuit schola Henrici Reinhardt, qui multa narravit de historiographis suae urbis.

Veneris die, hora secunda, maxima participum turba congregatur in magnum Gymnasii Cathedralis oecum, ubi Valahfridus summo cum entusiasmo commentatur Vergilii Didonem melodis a Iano Novak illustratam. Imprimis dicit: *"Hi quoque Ludi Latini consecrati sunt memoriae Iani Novak, musici divini, qui, natus in Moravia, suae patriae modos musicos cum litteris Latrinis coniunxit felicissime, qui morum candore, felicitate ingenii, cultu atque humanitate eminebat inter omnes suae aetatis homines, qui primus invenit Ludos Latinos et, dum Latina studia florebant, vocabitur Ludorum Pater"*. Postea narrat Ianum Novak Vergilii Didonem modis musicis illustravisse atque hoc opus primum publice edidisse in urbe Bruna (v. Brno), Moraviae capite, anno 1967°, maximo cum popularium plausu. Infeliciter, anno 1968°, cum iterum vehementer

oppressa est Bohemoslovacia, id quod communiter appellatur euphemismo "Vere Pragense", e patria fugere coactus est; exsul fuit usque ad supremum diem. In patria eius opera interdicta, deleta, contrita sunt. Iam diu Valahfridus frustra quaesivit domum editoriam quae phonodiscum operis musici Didonis in lucem edere vellet. Nunc tandem editum est, iuvante Rhoda Schnur, domus editoriae "Pegasi limitati" conditricis, quae, ut olim Maecenas, pecuniam liberaliter praebuit. Audimus postea ex magnetophono breves Didonis partes, quas magno cum entusiasmo commentatur Valahfridus...

Hora tertia, in sacello palatii episcopalis editur Iani Novak SONATA ECCLESIAE ab eius filia Clara Novakova calamo oblique canente et Georgio Leonhardt organum pulsante.

Eodem postmeridiano tempore in diversis locis simul fiunt complures res:

- PERIEGESIS MUSEI EPISCOPALIS, explicantibus Silvia Saborowski et Helmutio Zaeh Nordlingensi.

- LUSTRATIO BIBLIOTHECAE ECCLESIAE CATHEDRALIS, ducente Rudolpho George Frisingensi

- "DE NUMERO STELLARUM" cantatur a discipulis Frisingensibus

- LUDUS SEPTEM SAPIENTUM AUSONII, a discipulis agitur.

- DE LITTERIS LATINIS FRISINGENSIBUS orationem habet Henricus Reinhardt.

Hirosius HARADA Kiotensis, optimus Aritunei Mizuno discipulus, infeliciter impeditur ne dicat "DE LATINARUM LITTERARUM INITIIS QUAE FUERUNT IN IAPONIA", cum inopinanter sectionem chirurgicam subire debuit.

Vespertino tempore, hora octava, in Atrio Musei Episcopalis magna fit acroasis musica qua eduntur diversa Iani Novak opera inter quae tres Horatianae Odae. Inter canentes, Elissa Novak uxor claves pulsat et Clara Novakova filia calamo obliquo canit.

Saturni die antemeridiano tempore iterum fiunt scholae; nonnullae res repetuntur, paucae primum aguntur, quarum praecipua est hodiernorum POETARUM RECITATIO, Monicae BALZERT, Anna Elissae RADKE et Ioannis WIELAND.

Iam hora sexta incohatur SALTATIO PUBLICA in oeco maximo scholae musicae Frisingensis. Cum hora circiter septima pedibus advenimus una cum Sigride Albert, Iohanne Paulo Bauer, Andrea Fritsch et P. Caeleste Eichenseer, ne una quidem mensa vacua superest in hoc spatiosissimo oeco. Maesti iam discedimus, cum, curante Mario Alexa, ministri nos retinent et affabiliter mensam nobis afferunt, quam difficillime inter ceteras densas collocant. Statim vinum bibimus de dolio haustum. Cibi etiam venundantur. Symphoniaci lusorii Monacenses nobis praebent dulcissimam suavissimamque musicam Austriacam Hungaricamque. Multi saltant, nonnulli modo antiquo vestiti necnon coronati.

Iuxta mensam nostram sedet Marcus BONETT-FANTINI, Italus Utinensis, quocum diu Latine colloquitur Andreas Fritsch; nam mirum in modum Latine iam loquitur is juvenis alumnus,

strenuus fautor Linguae Latinae Europaeis usurpandae.

Inter saltationes fiunt LUDI SCAENICI; Ovidii Ariadnam per pantomimum exhibent Bernardilla Schnyder, Escius Bockelmann, Andreas Heider et Ioannes Petrus Obermayer. Etiam exhibentur DELICIAE LATINAE, quibus unicuique sodalium occasio datur artificii sui demonstrandi. Quorum optima est Inga PESSARRA, quae flexuose atque eleganter SALTATIONIS ORIENTALIS ostentationem facit, maximo cum spectatorum plausu et Valahfridi laude.

Omnium oculi subito tenentur cum intrat manus militum Romanorum; ducit enim suos gregarios centurio Marcus Junkelmann; qui vir historicus diligenter conficere curavit vestes, arma impedita quoque militum Romanorum, quae palam demonstrat et explicat. Ut de vita laboribusque militum Romanorum expertus librum conscribere posset, ipse cum nonnullis sodalibus superiore aestate, Verona Augustam Vindelicum trans Alpes pedibus iter fecit, cunctis vestitis atque graviter oneratis velut Romanis.

Ultra mediam noctem ballatur...

Die solis, cum ultimum ientaculum sumimus in cenatione communi, ad mensam nostram fortuito sedet Ingrida THIEL, magistra quae linguam Latinam in oppido Iuliae (v. Jülich) docet; dum colloquimur, nobis confitetur se hic primum suum "horrorem Latine loquendi" superavisse! Maior laus, mea sententia, Ludis Latinis tribui non potest!

Ab hora nona et dimidia celebratur LUDORUM FINIS. Ultimum congregantur participes in Atrium Musei. Scaena laute ornatur fructibus autumnii et mira varietate instrumentorum musicorum mediaevalium: sunt flautae, cornu, organettum, calameia, fidulae, rebecca, saz Arabicum, symphonia, organistrum, cithara, tintinnabula et tympana, quae partim ipse confecit Vinifredus GOERGE. Intran Claudia, Iosephus et Rudolphus GEORGE, e Collegio minore Fisingensi, qui iam plus viginti annos priscis modis renovandis operam dant. Non solum mirum in modum canunt sed etiam in scaena agunt CARMINA BURANA. Audimus hodie modos mediaevales, qui, nonnullis carminibus in codice adscripti, paene ignoti videntur esse. Valde delectati sunt spectatores. Dum post finem maximum dant plausum, poma capessunt, quae de scaena musici per aera locose mittunt...

Post carmina Burana recitantur nonnulla carmina: hoc Fidelis RAEDLE carmen quod magnum excitavit risum ad exemplum exhibeo; cui titulus: "Quaedam de gallo".

Iam prima luce cantum edit,
qui nocte sudibus insedit.
Mox humum rostro perscrutatur
uxoribusque circumdatur.
His opera quaerendi grana
etiamsi caecis non est vana.
Gallinis gallus gaudet multis-
vos idem nonne, vtri, vultis?
Est gallus canens in fimento
imbris aut solis documento.
Si lector carmen hoc legisti,
non doctior eris quam fulisti.

Valahfridus STROH partes recitat sui carminis plus quam ducentorum versuum, EROTOMACHIA inscripti, quod in honorem eorum qui Ludos Latinos Augustanos adiuverunt scripsit atque Manibus Iani Novak dedicavit.

Postea, loco auctoris absentis, Valahfridus carmen Aritunei MIZUNO Kiotensis declamat:

Iam ter, o Musae, celebratis atque
spiritu LVDS datis hoc LATINOS,
semper ut uiuat merito superstes
lingua Quiritis:

5 caelitem lingua, mulier sodales
uirque, concinnos Latii canetis
quos docent cantus et Amor sacerque

Corbinianus;

multus orator decorabit oecos

10 arte, saltabuntque Valahfridusque et
grex amandus tuque gregis, Georgi
clauicen, aster.

uosque, Caelestis cate, Coe Gai,
uosque fulgentis animo, sodales,

15 istud aspectante procul saluto
ludere laetos,

teque, sic Frisinga uetus nouellisque
aurea regina decens corona,

plena flammataeque potens cateruae,

20 uester amicus.

Inter pausam in vestibulo cuiusdam iuveni Iaponi occurro, qui modo advenit. Mihi obstupefacto dicit se esse Hirosium Harada. Ut primum nosocomium relinquere ei licuit, etsi iam ultimus Ludorum dies esset, Frisingam tamen statim petere voluit. Maxime gavisus quod eum contra spem conveni, paulisper cum eo Latine colloquor...


Iam incohatur ultima Ludorum finis pars, quae musicae deditur.

Audimus CARMINA CATULLIANA a Margareta Sorg-Rose modis musicis instructa et Iani Novak opus singulare, cui titulus APICIUS MODULATUS. Apicium Modulatum cantat Anna Baldo voce acuta, psallente cithara Paulo Tomasini. Cum ad finem pervenitur, ubi cantatur Porcellus liquaminatus (Apic. 8.7.3), intrant Marci Junkelmann milites Romani, qui amphoram mulsi, varios cibos Apicianos necnon porcellum assatum afferunt, omnibus qui cupiunt distribuendos...

Sic felicissime peraguntur Ludi latini tertii...

Non dubium est quin aequae prosint et litteris Latinis et Latinitati vivae. Mire etiam inter Ludos expergisci coepit genius Romanus Europae...

Gatus Licoppe Bruxellensis.



DUO CARMINA POETAE LAUREATI FINNORUM
EINONIS LEINO IN LATINUM VERSA
 A THOMA (TUOMO) PEKKANEN HELSINKIENSI

Eino Leino (vixit 6.VII.1878 - 10.I.1926) iam puer duodecim annorum carmina scripserat. Cum esset insolita poetica vena praeditus, scriptor fecundus brevi evasit, qui in litteris Finnorum sui temporis primum locum habuit. Neque quisquam postea, quantum ad creativam virtutem, par eius in Finlandia poeta exstitit. Carmina eius variis suis modis et coloribus sicut musica sonant et imagines poeticae magna facilitate ex divite vena profluunt. Poeta ipse triginta fere opera lyrica publicavit, praeterea multas fabulas scaenicas et narrationes. Eius scripta, omnia Finnice composita, in XVI voluminibus edita sunt annis 1926-30.

Celeberrima poemata Einonis Leino sunt Carmen nocturnum et Elegia, quae certo modo inter se coniunguntur : illud 3.VII.1903 sponsae suae Freyae Schoultz dedicavit, quacum postea (10.IX.1905) matrimonium iunxit; hoc mense Aprili aut Maio anni 1908 scripsit, postquam divortium cum eadem femina fecit. Suo natali die 6.VII.1908 Elegiam amicis misit, qua eos salutaret. Illi versus graviter commoti legerunt, quippe qui de poetae divortio iam antea certiores facti intellexerent, quam penitus res eum affecisset et defatigasset.

Carminis nocturni versio Latina, quam in commentariis Finnicis Kanava (1983, 293) primum publicavi, apud latinistas Finlandienses satis est nota. Elegia in formam Latinam a me eodem fere tempore redacta, antea non est typis edita. Ambae versiones et sensum et structuram carminum Finnicorum fideliter servare student.

In Carmine nocturno versus 2,4,9,10 sunt rhythmici enneasyllabi terminantes in ~ ~ ~, ceteri decasyllabi in ~ ~ . Schema rimarum est ab ab cc dd ee. Etiam alliteratio saepius occurrit, neque tantum in initio verborum (supra spicas, luna lucida, fert felicitatem, etc.), sed et in medio, nempe vocabula ita plerumque sunt electa, ut singuli versus musicam carminis Finnici Latine expresserint (pendet caelo, nubes rutilans, color ... dormiente, floris odor, etc.).

Aestiva nocte, luna supra fruges maturescentes lucente, nocturna avicula cantante et gramine iam roscido poeta sibi carminis causam quaerens poetica libertate usus optat, ut arbores sibi allatae, nubes in occidente rutilans, collis color, flores redolentes et flumen umbrosum materiam praebeant. In stropha altera sponsam verbis flos decorus, numen, corolla, virens folium alloquitur; pulchritudo virginis talis est, ut poeta eam cordis silentio velut deam adoret; simul tamen ipsa reverentia huius divinae puellae eum divino spiritu inflatum et canorum facit. Ignes incubonum sunt in fabulis Finnorum signa thesaurorum absconditorum (cf. et Petron. 38,8 cum Incuboni pilleum rapuisset, thesaurum invenit). Virgo, quam sponsam habet, tale est bonum a fortuna poetae datum, ut nullos alios thesauros sibi quaerere velit. Cum nullis rebus perturbatus felicitate sua fruitur, vitam velut

arto circulo limitari sentit, ubi tempus constiterit et quies regnet. Futura tamen incerta manere, sicut semitam tenebrosam, quae viatorem in incognitam domum sit ductura. Sine dubio haec domus incognita etiam Plutonium domum sive mortem designat, sicut quidam participes Feriarum Latinarum Olbiensium huius anni proposuerunt, cum de Carmine nocturno dissereremus.

Elegiae rhythmus est $\acute{\sim} \sim \sim \acute{\sim} \sim // \acute{\sim} \sim \sim \acute{\sim} \sim \acute{\sim}$, schema rimarum aabb, ccdd, eeff, etc. In his rhythmis Leino de tota sua vita rationem reddit, quomodo via sua ascenderit et descenderit, quoque modo omnis spes se repente fefellerit. Memoria felicitatis et laetitiae iam praeteritae, desolatio praesentis temporis et desperatio rerum futurarum imaginibus poeticis delicate exprimuntur etiam rhythmico et sonitu animi tristes motus delineantibus. Ultimus carminis versus non solum mortis desiderium viri afflicti praefert, sed velut suspirium est totius rerum naturae, antequam vita exstinguatur.

In eo libro, quem collega noster amicus Teivas Oksala publicavit (edidit Suomalainen Kirjallisuuden Seura, Societas Litterarum Finnicarum). De relatione Einonis Leino ad culturam classicam antiquorum, etiam de Elegia nonnulla optime disseruntur: primos versus (1-4) multis modis carmen Horati 4,7 Diffugere nives assimilare; conferenda esse etiam sicuti labitur flumen cum Hor. carm. 3,29,33 sq. cetera fluminis ritu feruntur, stamina cana cum Hor. carm. 2,3,15 sq. sorum fila trium ...atra, carpere tempus cum Hor. carm. 1,11,8 carpe diem et 3,8,27 dona praesentis cape laetus horae; quartum versum revocare lectorem ad Hor. carm. 2,14,21-28 et 4,7,19-20; denique, v. 13 Aequoris aestus etc. metaphoricè ad fabulam antiquorum de Atlantide esse referendum.

ELEGIA

Fugit iuventus, sicuti labitur flumen,
stamina cana Lachesis net mihi numen.
Conor heu frustra carpere tempus iam serum;
non iuvat coetus me sociorum, non merum.

Praeterierunt tempora prisca superba,
impetus mentis incitat non mea verba.
Semita celsa vertitur versus profunda?
Spes mihi sola: sit brevis hora iucunda.

Requies certa fit mihi terra sepulto.
Quaerit qui vera, gaudet non otio multo.
Imminet imber, nubibus conditur caelum,
occidens praefert rutilans decoris zelum.

Aequoris aestus obruit florida prata.
Sum homo pauper: carmina caro parata.
Viribus cunctis anxius cum trepidavi,
somnia cara mentis maerore pensavi.

Defatigata cum gravat pectora cura,
saxea forsane sarcina sit nimis dura?
Sive volentis non valet vis operari?
Parva paravi, fructus laboris amari.

Sic sine causa pertuli hoc onus grave,
vincula fregi, perdididi quod fuit suave?
Decidi demum, cum opus arma fuerunt?
Torpeo totus, vulnera cum colerunt?

Numina divum non potis est superare!
Carminis cantus non valet vatem levare.
Flat male flamen, vox volat iam peritura.
Rupes requiro, ut fera mox moritura.

CARMEN NOCTURNUM

Supra spicas cantat philomena,
pendet caelo luna lucida,
fert felicitatem nox serena,
fit convallis rore humida.
Non congaudeo non gemo tristis,
at sint arbores, quas attulistis,
nubes rutilans in occidente,
color collis vento dormiente,
floris odor, umbra fluminis,
unde causam sumam carminis.

Tibi canto, virgo, flos decorus,
infers intra me silentium,
numen, tibi factus sum canorus,
es corolla, virens folium.
Non iam sequor ignes incubonum,
cum possideo fortunae bonum.
Circa vitae circulus artatur,
aura tacet, hora non mutatur.
Cerno tenebrosam semitam,
domum versus fert incognitam.

Thomas Pekkanen.





OMNIBUS MODIS QUI PAUPERES
SUNT HOMINES MISERI VIVUNT...




PRAESERTIM QUIBUS
NEC QUAESTUS EST NEC
DIDICERE ARTEM ULLAM.



HISCE HAMI ATQUE HAEC
HARUNDINES SUNT NOBIS
QUAESTU ET CULTU.



COTTIDIE EX URBE AD
MARE HUC PRODIMUS
PABULATUM.



CIBUM CAPTAMUS
E MARI.



SI EVENTUS NON EVENIT NEQUE
QUICQUAM CAPTUM EST PISCIMUM, SALSI
LAUTIQUE PURE DOMUM REDIMUS
CLANCULUM, DORMIMUS INCENATI.

Handwritten signature and the Roman numeral 'VIII' in a box.

DE COLLOQUIO SECUNDIANO

EXEUNTE MENSE SEPTEMBRI IN URBE MECHLINIA FACTO.

Ianus Secundus poeta illustris nobili loco anno 1511° est natus Hagae Comitum idemque vitam cum morte prope Tornacum commutavit eodem anno quo Desiderius Erasmus, humaniorum cultor litterarum cuius memoria ubicumque nunc terrarum commemoratur, naturae modum explevit. Ipse, quamvis breve esset vitae eius curriculum, multam tamen sibi laudem peperit e carminibus cum venustissimis tum magni ob influxum in posteriores momenti. Etenim Catulli et Anthologiae Graecae epigrammatariorum vestigiis ingressus basia panxit veracia, perfecta quod ad elocutionem eaque praedita simplicitate, quae maxima ab arte proficiscatur; haud scio an nugae elegantiores ab humanistis lusas non habeamus: mihi equidem ille antiquitatem semper adaequare, interdum superare videtur.

Itaque anno ab eius morte recurrente 450°, Regia Societas historiae, litterarum et artium Mechliniensis lautis in aedibus quibusdam die XX° m. Septembris colloquium Secundianum condigne instauravit; eo octoginta circiter participes confluerunt, magno Batavorum concursu, quippe qui in Secundi vitam et opera prae ceteris incumberent. Rebus autem agendis praesedit Iosephus Ijsewijn academicus professor Lovaniensis. Hora igitur decima praeses prima verba fecit apud congregatos; ipse de loco Secundi poematis tribuendo luculenter et enucleate dixit: Ianum una cum Remaclo Arduenna lyrica prorsus innovasse atque ad Italorum exempla polisse; magnam eius fuisse fortunam apud poetas sive neolatinos sive vulgares, velut Petrum Ronsardum reliquosque Pleiadis Gallicae sidera. Dein, postquam professor quidam Amstelodamensis nova quaedam ad Everardorum gentem Mechliniensem relata attulit, Alafridus Dekker Traectensis in medium processit, qui dissertationem Secundianam eamque diutino labore praeparatam mense Decembri publice defensurus, praecidanea quaedam novitate notanda audientibus non sine sale offerret; qua in causa criticus ille carminum Secundianorum editor adseveravit Ianum Secundi cognomen sibi vindicasse non quo alter a fraterculo in cunis mortuo lucem hausisset (quod vulgo tradebatur), sed quia ipse dies natalicius Secundino sacer erat. Tum Iohannes Petrus Guépin doctor Amstelodamensis de Grudii, Iani fratris, poematis ineditis (Iano enim erant duo fratres, aequali ii Musarum amore devincti, quibus nomina Hadrianus Marius et Nicolaus Grudius) festive at paulo impeditus, ut quibusdam videbatur, disputavit.

Posteaquam pane et potione Arabica pransum est, Christophorus Heesackers, doctor Amstelodamensis in litteris neolatinis non mediocriter versatus, de fortuna Secundi apud poetas neolatinos facunde exposuit; qui ante ceteros Ianum Dousam (1545-1604) Ianumque Lernutium (1545-1619) amicos respexit, hunc Brugensem, illum Nordovico oriundum, utrumque validissimum poetam. Postremo Lucas Smolderen,


Belgarum regis apud Parisienses legatus, imaginibus tralucidis in parietem proiectis, de Iano Secundo ut nomismatum artifice doctissime disseruit.

Post quas acroases multifarias gentis Everardianae domum veterem (nunc prorsus relectam) petivimus. Prae foribus dum stamus aprica in area, mulier quaedam Batava tamquam ad campanularum sonos unum e Iani carminibus pronuntiavit:

"Sustinet et summis pueros de marmore tectis
auratus volucer, quos micat inter amor."

Tum aedem Virgini deiparae sacram eamque exiguo interiectam intervallo ingressi sumus iidemque elogia legentes conditoria familiae Secundianae lustravimus. Denique in oedeo haud procul inde sito carmina matricalia partim e poematis Secundianis cantata avida exaudivimus aure. Quo cantu conventus tam iucunde quam sollemniter est conclusus.

Reliquum est ut legentibus, si quibus Secundi Camena fortassis est ignota, specimen quoddam offeramus, e quo eius lyrica metiantur; odam igitur XI^{am} exscripsimus. Huic addimus singularis illius poematis imitationem fere ignotam, cuius auctor est Petrus Franciscus Iulius Servan de Sugny poeta Francogallico-Latinus (Lugduni, 24. 11. 1796-prope Aurelliam, 12. 10. 1831); is annis 1817° et 1818° Parisiis Lugduniquae libros curavit edendos, q. t. Almanach des Muses Latines, quibus et nova variorum poetarum carmina et poemata vulgaribus pacta sermonibus vestibisque induta Latinis continebantur; his ipse editor sua iniunxit plurima.



In choreas ab se spectatas

Curru Diones vectus eburneo
vidi modo, hic, iam nescio quo loco,
calente cursitare mixtas
cum iuvenum serie puellas.

Una inter omnes florida virgines
terram tenello sollicitans pede,
versabat in gyrum sequaces
secum oculos animosque turbae.

Ut rubra puro lacte natans rosa
serpebat atlas purpura per genas;
frons crine flavo fulgurabat,
fulvo ut ebur variatur auro.

Sic illa, membris laeta volantibus,
producta cari nunc iuvenis manu
circumibat intactamque sensim
nabat humum trepidante planta.

intactam

Nunc sola, gratis libera nexibus,
errabat, huc vibrans oculos, et huc,
lusuque mobilis protervo
huncque petebat et hunc, et illum.

"Beata", dixi, "terra! Vel hos pedes,
tu bruta, senti, vel mihi fac locum :
seque illa per pectusque nostrum
per faciemque, oculosque volvat."
(Ianus Secundus, Ode XI)

En sortant d'un bal

Idaliae curru Matris subvectus eburno,
cum iuvenum serie vidi flagrante puellas
miscere alterno festiva tripudia saltu.
Una inter socias virgo spectabilis omnes,
sollicitans teneris terram promptissima plantis,
secum turbae oculos in gyrum animosque sequaces
versabat; qualis rosa per carchesia lactis
rubra natat, niveos pingebat purpura vultus.
Candida frons flavis radiabat sparsa capillis,
sicut ebur fulvo pulchre distinguitur auro.
Membris nimirum sic laeta volantibus ibat,
virgoque intactam trepidanti concita cursu
nabat humum : matris pertentant gaudia pectus.

*dr ↑
lf ?*

(Servan de Sugny, in : Almanach des Muses
Latines, I (1817), p. 108)

Theodericus Sacré Lovaniensis
(Operis fundati scientiis provehendis Belgici
adsocius).



Vix nuntiaveramus in MELISSA 14^a adsocios
Fundationi Melissae adiungendos esse, cum iam
prima nomina accepimus.

FAUTORES adsocios non enumerabimus, praeter
unum, qui primus omnium nomen dedit : Marcus
DECRETON ex oppido Geel (in Belgio).

Pro largitionibus suis duo facti sunt MUNIFICI
adsocii : Dr. Benedictus van den HOVE et
Dr. Michaël HUBERTY, Belgae.

Unum ex BENE MERITIS adsociis nominabimus,
Berendus Ianus VISSER, quia est primus adsocius
Nederlandensis; Ludis Latinis factus est strenuus
Latinitatis Vivae fautor et ad nos epistulam iam
misi divulgandam:

Epistula ex regione ultrarhenana prima.

Berendus Janus Visser lectori S.P.D.

Quaestionem quae multorum civium animos occupat
quamque tibi iucundam fore spero, scribere velim.
Apud nos enim quaeritur utrum scriptor qui his
paucis annis Africam australem visitaverit, inter-
cludi ab auditionibus oporteat annon.

In Africa australi nigritas discriminari inter
omnes constat. Permulti, qui hac re magnopere
abhorreant, putant curatores reipublicae Africanae
australis vi cogendos esse ut finem discrimina-
tionis faciant et nigritis iura hominis, quibus
tam diu eis fraudaverint, reddant. Quae vis autem
adhiberi debeat, non satis constat. Alii putant
Africam australem intercludendam esse a mercatura
internationali, alii eiusmodi interclusionem
nigritis maiori damno quam commodo fore perhibent.
Sunt quoque qui Africam australem non modo a
mercatura intercludi velint, sed etiam omnibus
modis insulari. Quamobrem homines eruditos et
litteratos sub poena interclusionis sanciant ne
Africam australem visant.

De tota hac quaestione, quae ad alias nationes
fortasse minus pertinet, a civibus meis multa
dicuntur, primum quod in Africa australi qui
discriminationem valere velint, eadem lingua
loquuntur ac Batavi, deinde quia sicut in Hollandia
ita in Africa australi multi Calvinianae legis
studiosi sunt, postremo quia Batavi, quomodo
alii se gerere debeant, semper accuratissime sciunt.
His diebus autem curia Amstelodamensis, quam pro-
gressivi imperio regunt, scriptorem Batavum cele-
berrimum interclusit, non quo discriminationem
approbet sed quod Africam australem visitavit.
Ille scriptor, vir maximo ingenii acumine necnon
omnis discriminationis inimicus rogat an melius
sit verbis quam vi civibus Africae australis
persuadere ut discriminationis finem faciant.
Hanc quaestionem insuper rogavit qui fieri possit
ut homines discriminationis negritarum finem
faciant discriminando scriptores. Vale.

Data ex vico Baarnensi.

Mense Nov. a. '86.

DE FERIIS LATINIS OLBIENSIBUS ANNI MCMLXXXVIⁱ

Feriae Latinae quae, quoniam haud longe ab oppido Olbia (1) in Francogallia inauguratae sunt, Olbienses dici solent, hoc anno a die 23^o ad diem 30^{um} mensis Augusti iterum, ut ante biennium, in castello quod Francogallice La Castille Latine Castella vocatur celebratae sunt. Nam praeterito anno Feriarum moderatores alium locum experti erant, Sophiam Antipolim scilicet, qui variis de causis eorum exspectationem non omnino expleverat; itaque ad Castellam hoc anno se receperunt, qui locus, etsi nonnulla incommoda habet, satis tamen idoneus et aptus ad tales Ferias quidem apparandas videtur.

Saturni igitur die mensis Augusti 23^o, hora sexta postmeridiana, participes ut singuli bini terni adveniebant nominaque sua more solito dabant, hunc nuntium cum gravissimum tum incredibilem accipiebant et alii aliis miserabiliter tradebant: Patrem Suitbertum omnino impediri ne Feriis adsit. Patrem autem illum Feriarum Latinarum et olim conditorem et semper moderatorem fuisse neminem fallit, ita ut plurimi eas non aliter quam Suitbertianas nuncupare solerent.

Quae cum ita essent, quid fieri poterat? Num dimitti fas erat tot participes ex tam diversis regionibus iam adeuntes? Fortunate aderat Clemens Desessard, ille libri quo 'Latine sine molestia' discitur auctor diligentissimus, qui, ut Patrem Suitbertum in Feriarum rebus gerendis adjuvare quasi legatus solitus erat, ita, imperatore suo absente, imperandi munus fortissime suscipere non dubitavit, quod ex eventu apparuit eum omnium consensu aptissime executum esse.

Si autem ad participes ipsos redimus, qui interea advenire non desiderant, viginti tres adfuisse inveniuntur, quorum nonnullis totam hebdomadam manere variis de causis perincommode non licuit, octo (nisi fallor) ex gentibus orti, atque varias artes vel munera exercentes, quos omnes idem Latinitatis amor congregaverat.

Quoniam propter Patris Suitberti absentiam nonnulla in Feriarum programmata mutanda fuerunt praesertim in rebus ad religionis ritus pertinentibus, pleraque ex consuetudine facta sunt, scilicet ut cottidie sessionis principio, quod hora nona cum quadrante fieri solebat, bini vel terni ex participibus vicissim in aulae magnae suggestum conscenderent, ut de se quisque et de suae vitae cursu ceteris narraret, quo melius alii alios cognoscerent et unicuique nemine excepto Latine loquendi facultas daretur; deinde ut qui nomina sua ad sermonem vel orationem habendam dederant, de argumento vel materia quam elegissent dissererent. Qui non pauciores quam decem inventi sunt, quorum alii horam unam duasve, alii quattuor vel quinque loquebantur, et rogantibus respondebant.

Ut intellegatur quam et variae et iucundae fuerint illae materiae, liceat paucis quidem verbis oratorum nomina orationumque argumenta proponere:

- Thomas Pekkanen, Finnis natione,

Professor Linguae Latinae, qui carmen Finnicum illud, Kalevalam inscriptum (2), ex plus quam viginti milibus versuum constans, in versus Latinos vertit, illius versionis aliquot excerpta xerographice multiplicata et participibus distributa disertissime explanavit, in quibus de novae cujusdam nuptae in praeteritorum temporum Finlandiae officiis et muneribus agebatur, quae quam gravia et molesta fuissent nemo fuit quin miraretur et miseraretur. Praeter Kalevalam suam Latinam idem Professor nobis pulcherrimam quoque versionem Latinam carminis Finnici alterius brevioris, Nocturni dicti, proposuit, quod, Stephano Torelli (de quo infra dicetur) duce, omnes una haud absurde, ut modeste loquamur, concinimus.

- Item, huius relationis scriptor sermonem semel et saepius habuit de Thomae Mori, Angli illius clarissimi, vitae et operibus, imprimis de libro quem 'De optimo Rei publicae statu' conscripsit, vulgo 'De utopia' dicto, ex quo aliquot excerpta a se ipso selecta explicavit (3).

- Godo Lieberg, Germanus natione, Linguarum classicarum Professor, de comoedia Terentiana quae Adelphoe inscribitur et praesertim de duobus locis ex ea a se ipso excerptis, disertissime disseruit.

- Diana Licoppe, ex Belgio orta, Linguarum classicarum profestrix et Latinitatis vivae impigerrima faulrix, nobis duas videocassetas (quae dicuntur) ostendit, quarum una coemedia Plautina Rudens inscripta, altera autem spectacula ex Seminario Vestendensi nuperrime habito continentur. Eadem Diana duce usi sumus iterum postero die in Islandia insula per imagines perlucidas lustranda.

- Claudius Piga, machinator natione Italus, artis typographicae progressus ordine a principiis ad hodierna tempora imaginum perlucidarum auxilio iucundissime narravit.

- Stephanus Torelli, item Italus, musicae peritissimus et ipse cantor egregius, taeniarum sonigerarum adiumento musicae sacrae processus eruditissime tractavit.

- Paula Marongiu, Itala, Linguae Latinae doctrix, orationem sollertissime compositam habuit de litteris Latinis docendis et discendis, qua Latinitatis obtrectatorum argumenta planissime refellit.

- Auri Gonella-Campolungui, Itala quoque, pictrix et sculptrix, artem suam per figuras in tabula nigra delineatas, marito Latine adiuvante, peritissime illustravit.

- Fredericus Geiger, Austriacus natione, medicus et sociologus idemque theologus, cum Paula Marongiu, de qua supra dictum est, vicissim (amant alterna Camenae!), 'de scriptore Voltaire et de Ecclesia catholica', immo pro hac contra illum, ut haud iniucunde, ita non sine ira et studio, nonnullorum quidem sententia, locuti sunt.

- Clemens Desessard, machinator ille emeritus quem supra vidimus Feriarum currus habenas, rectore deficiente, fortissime arripuisse, artis aeronauticae rudimenta, quamvis difficilia,

figurarum in tabula delineatarum auxilio planissime explicuit.

- Postremo, -sed nequaquam in postremis-, Pater Basilius Hypeau, monachus Benedictinus sermonisque Latini peritissimus, a participibus rogatus ut comparationem faceret inter convictum monachorum sibi ipsi tam bene notum et Utopiensium vitam ut a Thoma Moro in libro de quo ante dictum est descriptam, praecipuis utrorumque vitae elementis singillatim aptissime tractatis, ad hanc conclusionem ~~evast~~ ^{peruenit} plurimis in rebus certe haec duo vivendi genera similitudinem quamdam insignem gerere, maxime autem in eo discrepare, quod nemini in Utopia illa nato recurrere licet quin legibus quamvis acres vel crudeles ei videantur obtemperet, monachus autem nulla vi coactus sponte sua in monasterium intrat et in eo quamdiu exire non vult manet, neque unquam abbatis iussis invitatus paret (4).

Hactenus vero qui relationem hanc legerit, profecto mirabitur quales feriae sint istae in quibus de nulla re nisi de orationibus et studiis agatur, cum maxime in vocabulo 'feriarum' aliquid inesse oporteat hilaritatis et iucunditatis; quod equidem nunquam defuisse testor. Etenim praeter prandia et cenas quae neque sale, ut decet, neque salibus, ut libet, caruerunt, atque praeter ~~vacua~~ ^{vacua} illa tempora quibus sub areae platanis vel in horto colloquendo et iocando frui licebat, oblatae sunt participibus duae egregiae gaudendi et animos relaxandi occasiones: Quarum prior fuit, cum die Martis sexto et vicesimo mensis Augusti omnes sodales post cenam ad potandum invitati sunt a Bernardo Chauvin des Villars, Linguae Germanicae Professore emerito necnon Latinitatis amatore studiosissimo, qui haud procul a Castella in vico Belligenserio habitat. Etsi repente, ipso conveniendorum hospitem tempore, imbres incredibiles, quibus nihil vehementius fieri posset nisi quando in quibusdam taeniis cinematographicis, siphonariis in postscaenio etiam adiuvantibus, urceatim effusi sunt, et universi hospites non minus madefacti sunt, quam si per villae piscinam urinati in domum intrassent, generosi Amphitryonis comitas vinumque ejus non minus quam ~~Merus~~ ^{Merus} ipse generosum effecerunt, ut nemo non satis refotus et calefactus post iucundissimam vesperam illam hospitalem villam relinqueret.

Altera autem occasio animos relaxandi fuit totius diei Iovis excursio, quam Feriarum ille impigerrimus curator, Clemens Desessard, per regionem Telonensem praeparaverat. Quae tamen non sine mora quadam ~~incepta~~ ^{incepta} est, cum etiam tunc ipso protectionis tempore imber iterum cadere coepisset; qui cum tandem hora decima remisisset, non sine aliqua sollicitudine proficisci constituimus, meliorem fore tempestatem sperantes. Et re vera spes nos non fefellit, nam prout procedebat dies, serenius fiebat caelum clariusque lucebat sol.

In hac excursionem ante prandium ad puteos illos antiquos accessimus, ubi praeteritis temporibus homines industrie servare glaciem hiemalem solebant, ut aestate redeunte eam in urbem Telonem transferrent ibique venderent (5). Septemdecim sunt illi putei, quorum unum visitare

nobis licuit, ingentem, cylindratum, 15 m. altum, 12 latum, mirum in modum ad illum usum instructum.

Postea, prandio in hospitio ad monasterium quoddam pertinenti sumpto, vehiculisque ad imum montem relictis, pedibus per iter silvestre amoenissimum ad speluncam quamdam ascendimus, ubi Sancta Maria Magdalena vitam eremiticam egisse traditur, cuius in pariete fixam vidimus tabulam marmoream in qua poema a vate clarissimo Italo Petrarcho Latine conditum inscriptum erat. Inde pulcherrimo prospectu summa cum admiratione contemplato, per idem iter ad raedas redimus, quibus denique ad Castellam reverti sumus.

Ita inter studia et colloquia et in otio ne ipso quidem otioso (6) consumpta est illa hebdomada, cuius memoria in omnium participum animis diutissime haerebit. Gratiae igitur agantur plurimae et singulares Feriarum illarum moderatoribus diligentissimis, agantur quoque ceteris participibus studiosissimis. Valeant illi et valeant omnes Latinitatis amatores!

Adnotationes

1) Olbia est nomen Graecum, id est 'Beata', urbis illius quae hodie Francogallice 'Hyères' (Latine: 'Areae') vocatur. Aliis quoque urbibus in variis terrae partibus idem nomen inditum est vel fuit, quarum clarissimae sunt: Olbia in Sardinia insula etiamnunc Italice item nuncupata; Olbia in Bithynia quae postea Nicaea, Turcice Iznik, vocata est; Olbia denique illa quae prope hodiernam urbem Odessam in Russia meridionali sita erat.

2) Thomae Pekkanen opus inscriptum est 'Kalevala Latina, translated by Tuomo Pekkanen'. Ed. Suomalaisen Kirjallisuuden Seura PL 259 - SF-00170 HELSINKI 17. Pretium: \$ 33 + \$10 pro cursualibus expensis.

3) Hoc Thomae Mori opus magnifice nuper editum est cum Francogallica versione et copiosissimis adnotationibus a Prof. Andrea Prévost, 16 av. des fleurs 59110 La Madeleine France. Pretium: FF 210, cursualibus expensis inclusis.

4) Ut ait Seneca: "Non qui iussus aliquid facit miser est, sed qui invitatus facit".

5) Iam idem Seneca, non sine aliqua asperitate sui temporis luxuriam vituperans, scribebat: "Invenimus quo modo stiparemus nivem, ut ea aestatem evinceret et contra anni fervorem defenderetur loci frigore". (Nat. Quaest. IV, 13). Nihil sub sole (ut ita dicam) novum!

6) cf illud Ciceronis: "Ecquid ego dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem unquam otiosum?" (Planc. 66).

Georgius Andreas Bergère

IN CASTELLA

(Carmen ad Carminis Burani imitationem conditum, quod his verbis incipit: "In taberna quando sumus".)

1. In Castella quando sumus,
Non curamus quid sit somnus,
Sed ad studium properamus,
Cui semper insudamus.
Quid agatur in Castella,
Hac dicetur in fabella
Non est opus ut quaeratur,
Sed quid loquar audiat.
2. Quidam audiunt, quidam student,
Quidam surgunt, quidam sedent,
Sed est cuique ascendendum
In suggestum et loquendum :
Nomen suum debet dare,
Studia vitamque narrare,
Sed Latine : sic debetur,
Nam Latino hic studetur.
3. Adest Gallus et Germanus,
Belga, Finnus et Hispanus,
Italusque cum Helvetio,
Omnes adsunt vili pretio,
Nam non sumus in taberna,
Sed in domo ut paterna,
Quo undique congregamur
Ut Latine colloquamur.
4. Adest studens, adest doctrix,
Adest musicus et sculptrix,
Advocatus, machinator,
Diurnarius, contionator,
Adest tiro et magister,
Typographus et minister,
Otiosus, negotiosus,
Adest piger et studiosus.
5. Adest puer et puella,
Adest pulcher, adest bella,
Adest senex, adest minor,
Cum marito venit uxor,
Adest loquax, adest mutus,
Adest simplex et astutus,
Adest crassus, adest macer,
Adest laicus et sacer.
6. Linguae quibus utebatur,
Antequam huc ingrediamur,
Gallica vel Italica,
Germanica vel Finnica,
Iam omnino prohibentur :
Omnes Latine loquentur
Spatium totum Feriarum,
Quae vocantur, Latinarum.
7. Domum ego iam reversus,
Ad Castellam mente versus,
Scripsi libens istos versus,
Antequam mari sim mersus
Lutetianae vitae rursus,
A Latino tum diversus.
Nemo mihi sit adversus,
Si non sum poeta tersus !

Georgius Andreas Bergère.

VALDE LAUDANDUM ...

In actis Diurnis Bruxellensibus "LE SOIR" die 15^o m. Nov. editis nuntiatum est Gastonem Geens et Mauricium Lippens primum lapidem posuisse aedum administrationi Regionis Communitatisque Flammae destinatarum, quae iuxta ecclesiam cathedralem Sancti Michaelis exstruentur. Quo in lapide inscriptum est Latine :

"G. Geens, Rerum Flandriae praeses - M. Lippens, A.G. Societati praefectus - has aedes exstruere inchoaverunt - XIV.XI.MCMLXXXVI."

Diurnarius addit se mirari cur in aedibus Germanicis Latine scriptum sit. Ei certe deest animus Europaeus atque insuper videtur nescire linguam Latinam hodie melius coli in regionibus Germanicis quam Romanicis...

G.L.



EX HISPANIA : in praestantibus actis diurnis Hispanicis "EL PAIS", exeunte anno 1985°, longe tractatum est de statu hodierno linguae Latinae in Hispania. Cooperator noster Matritensis Iohannes Albertus MORENO TORTUERO hoc scriptum nobis in Latinum vertit:

12 / DOMINGO

EL PAIS, domingo 15 de diciembre de 1985

REVISTA

LINGVAE LATINAE MORS ET RESURRECTIO

Dum lingua Latina in gymnasiolorum Hispanorum nova institutione minuitur, in orbe terrarum dispersae voces surgunt eius pondus auctoritatemque praedicantes restitutionemque imperantes.

intra 25 annos, haec magna mutatio facta est: Linguae Latinae nuper studebant per duos annos omnes adulescentes (15-16) et per quattuor annos ei (15,16,17,18) qui "litterariam" viam elegerant; nunc soli adulescentes "litterariam" viam eligentes (10%-20%) linguae Latinae studebunt et tantum per duos annos. Attamen Antonius Burgess, maxime notus scriptor ("A clockwork orange", v.g.) hoc censet: tantum in Lingua Latina inesse unam Europae culturae unificandae possibilitatem sive facultatem. Haec verba seri dicta.

Per totum hunc annum, multae percitaeque conclamationes in Linguam Latinam minuendam, hoc quod Scientiarum Docentiaeque Ministerii consilium est, ~~sursum sunt~~ ^{sursum sunt} emendant, milia miliaque Hispanorum adulescentium, intra duo annos, sua studia in gymnasio inibunt relicta Linguae Latinae universa cultura, atque etiam ea studia sine verbo ullo declinato aut coniuncto finiant, dixit Iosephus Alonso Montero, Galaeciae Regalis Academiae socius, cuius libellus, "Pro Lingua Latina (et non solum...*)" magnam discrepantiam inivit. Alonso Montero, in studiorum Universitate cathedraticus et Hispanicae linguae Regalis Academiae socius, de tali consilio haec censebat: "Facilibus signis ebrii, vacuis gestibus temulentii, senatu consulto, hoc quod intima basis radixque est huius quod culturam occidentalem appellamus, excommunicant, id est, hoc quod vastissimum maximumque mundialis culturae caput est."

Eius sententia, Lingua Latina optimum instrumentum praebet ad hoc tristem prospectum debellandum: "exiguum vocabularium (saepe "argot"), multae anacolyticae sententiae, simplicissima syntaxis -nexus pauperimi, minima cura de lexico ad diversos contextus maxime idoneo, haec omnia Hispanorum adulescentium sermonis propria hodie sunt, aliquando et ab adultis fota, qui "recte loqui", minime modicum sive hodiernum putant".

Mentionem etiam facit Alonso Montero de Carolo Marx, qui cum "Das Kapital" scripsisset, etiam in Theodiscum, Aeschylus Graecas tragoedias vertebat. Quam linguam, magis quam Latinam, nova studiorum reformae minatur: "Cum nostrae rei publicae gubernatores socialistae ~~essent~~ ^{essent}, hoc tamen scire debent: Iulianum Besteiro hoc scelus non comprobare".

Aliae voces eius protestationi adhaeserunt. Haec est sententia Barcinonae studiorum universitatis professorum alumnorumque coetus: "Linguae Latinae eligendae optionem dari, simul atque Linguae Graecae studium paene remove, nihil esse nisi ordinatorum tyrannidem confirmare".

Sunt etiam qui talia asseverant: "Linguam Latinam nullo modo mortuam esse, hanc hodie novissimis vivisque rationibus doceri, atque iam, Franco gubernante, Iosephum Solis administrum hoc consilium Linguae Latinae removendae proposuisse, ad ludorum gymnasticorum tempus augendum. Alio modo alii linguam Latinam defendunt: apud aliquot studentes studiorum universitate Murciae - urbis prope Malaccam sitae -, nulla causa est tam diutinae Hispaniae culturalis retardationis, nisi oblivio aut

contemptus Graecorum Romanorumque scriptorum philosophorumque. Etiam Jaime Siles, poeta et scriptor, memorabat Iosephum Ortega y Gasset duorum classicorum linguarum, unius modernae, studium apud adulescentes anno 1911° petivisse.

Talibus protestationibus Iosephus Segovia, Mediae Docentiae Generalis Director respondet "se dolere quod eius detractores exaggeratis argumentis utuntur; linguam enim Latinam non removere esse, tantum si lubet adulescentibus (17-18) eligendam, "sicut erat et erit". Etiam Iosephus Segovia illustrum virorum sententias uti potest; v.g. Miguel de Unamuno, qui non solum optimus et maxime notus scriptor et philosophus, sed etiam linguae Graecae in Salamanticae studiorum universitate cathedram habuit, censebat: "Linguae Latinae cognitio mihi non videtur necessaria neque exigibilis ab omni studente".

Mense Maio anni 1985i ducenti linguae Latinae cultores Augustam Vindelicum, Bavariae urbem, convenerunt, bis millesimum diem anniversarium urbis a Tiberio et Druso, Augusti filii, conditae concelebraturi; sed aliquid maioris momenti quam hoc solum evenit: confirmatum enim est aliquid in paludosis aquis Latinitatis moveri; eius defensores, usque ad nunc abdicantes et cedentes, novos impetus faciunt. Eorum dux, Valahfridus (Wilfrid) Stroh, 45 annos natus, academicus litterarum Latinarum professor Monacensis (München), qui hos ludos Latinos instituit quibus per unam septimanam colloquia, concentus musici, ludi scaenici aguntur, pelliculae et casetae magnetoscopicae ostenduntur.

Quamquam non multi ex illustribus de lingua Latina viris adfuissent, rei publicae Malawi praesidens, Kamuzu Banda, lingua classicae amans, manus suorum scholarium ad ludos participandos misit. Etiam ex urbe Kyoto unus poeta Iapo, scriptor Latinus, Arituneus (Aritsune) Mitsuno, adfuit. Haec congregatio utilis fuit ad eos diversos hic atque illic florentes et moribundam linguam defendentes cognoscendos. Dominus Stroh linguae Latinae dulcedinem et sonoritatem defendit, ad eius usum atque studium incitans: "Linguae Latinae sonoritas valde mirabilis est, eius rhythmum studentes ignorant".

Cum maior pars Americae septentrionalis et Angliae studiorum universitatum Latine loqui non posse censent, haec propositio, quamquam curiositatem movet, minimas spes adhuc accendit. Uno saeculo antea coepta, magni dictionari, "Tesaurus Linguae Latinae" inscripti, confectio duratur in Germania foederata; iam perfecta sunt novem volumina, usque ad "P" litteram.

Ergo, perpauci desiderantes aut somniantes adhuc per orbem terrarum pererrare audent sub hoc vexillo: "Di Deaque facite ut omnes aliquando Latine loquantur." Plus minusve, haec est mirabilis propositio Angli scriptoris Antoni Burgess; nam, in disputatione de Europaea culturali essentia in urbe Venetiis, redditum ad Latinitatem proposuit: "Haec minime nugae; una possibilitas ad Europaea culturalis unificationis conatum haec est; tantum si iterum Latine loquemur, quamquam inepte et minime Ciceronis in modum, inter nos convenire poterimus".

ROMANIZATIO INCONCLUSA.

Carolus Barral, Provinciae Tarraconensis senator scriptorque, anno superiore haec declarabat: "Nondum Romanizatio conclusa

est " atque linguae Latinae studium instaurandum esse non solum in gymnasiis, sed etiam in scholis. Dominus Barral unionis Latinae socius est, cuius praesidens Raul Morodo; haec unio Latina investigationem effecit ex qua demonstrari videtur anno 2000° duo miliarda hominum Neo-Latine locutura esse. Mirandum est, cum in synodo Ecclesiae Catholicae - maxime patronae linguae Latinae, quae adhuc eius officialis lingua est -, in qua maior pars elocutionum Anglice facta est (consequentia linguae Latinae in liturgia relictae a Vaticano Concilio Secundo), novam magnam expectationem fieri in usum laicum linguae Latinae.

Res mirabilis, sed fortasse secundum naturam; nam, hoc factum ex eo quod lingua Latina eadem res videtur ac lingua Latina, quae coloribus inficitur qui hodie ei nocent. Dum haec fiunt, Romae Hispanus sacerdos Iosephus Maria Mir Tristany, suum laborem continuat, id est historias depictas Donaldi Anatis et Snupii in Latinum vertere.

Iam in Francogallia congressus ad linguam Latinam linguam officialem Europaeam adoptandam convenit, atque etiam societas mystagogorum Brugarum suos libellos in Latinum convertere decrevit: Nunc "Strip-tease" bomba sexualis appellatur.

'Consumatum est'

hae retestiae parum Latinae diffculter intelleguntur

Iam ineunte scholari anno 1985o, linguae Latinae cathedralici professores, magistri et studentes iterum iterumque suam anxietatem de lingua Latina docenda monstrant; apud Patricium De Blas, subdirector academicae ordinationis: "Non est voluntas Mediae Docentiae Generalis Directionis Reformae Consiliorum Modificandorum"; nam primae experientiae initae in 30 gymnasiis, ampliatae sunt usque ad 75 gymnasia; praeter haec, in 100 gymnasiis ab autonomis communitatibus pendentibus: provisiva eventa facta sunt.

Ergo, lingua Latina compulsa, in prima parte (15-16) remota est; optantibus studentibus praeberi potest, sicut subsidium ad linguam Hispanicam discendam, nam 5 horae per septimanam praevidentur ad eas subsicivis operibus implendas, "sed tantum si quodque gymnasium satis accuratam probationem praebet". Annis superioribus, lingua Latina 16 annos natis adolescentibus

compellebatur.

In secunda parte (17-18) etiam deest inter disciplinas ab omnibus discendas; tantum compellitur adolescentibus "litteris" studentibus; eam eligere studentes "socialis scientiae" atque "naturae scientiae" poterunt; ei studere non poterunt ii qui "industrialem scientiam" aut "administrativam scientiam" eligant. De "artistica scientia", nihil adhuc scitur, nam adhuc gubernatores non satis bene eam definiverunt.

Usque adhuc, omnes qui "litteris" studebant, linguae Latinae studebant. "Nobis indignationem movent - ait Patricius De Blas, factionis Rei Publicae - ii qui linguae Latinae minorationis causa, studiorum consilia minus humanistica iudicari conantur, tantum ad laborandi locos replendos designata; tantum aut magis humanistica quam praesentia consilia sunt".

SEDES STUDIORUM NEOLATINORUM
UNIVERSITATIS STUDIORUM SARAVIENSIS
invitat Latine doctos ad

s y m p o s i u m

participandum, quod erit de incremento linguae Latinae post tempora humanismi facto.

Quod symposium fiet

die Veneris, 28. m. Augusti 1987, et insequenti die Saturni, 29. 8. 87, in oeco quodam Universitatis studiorum Saraviensis.

Singuli universi, quorum hoc rerum et quaestionum interest, enixe rogantur, ut hoc biduum sibi reservent liberum.

Invitationes separatae cum programme definitivo ineunte anno 1987° exhibebuntur.

Quoad quaestiones et interrogationes:

numerus telephonicus

(49)-(0681) 302-3392

(Dr. Caelestis EICHENSEER)

Inscriptio cursualis: Societas Latina

Universität- FR 63

D - 6600 Saarbrücken 11

EMITE IANI NOVAK
PHONODISCUM PRIMUM EDITUM:



JAN NOVAK
DIDO

FALSIVS VERGILII
COMPOSITA

MODERANTI
RAFAEL
KVBEK

De Iano Novák musurgo



Constat 20 D.M. Petendum ab:

"AUDITE"

Schallplatten Friedrich Mauermann,
Behringweg, 6

D- 7302 OSTFILDERN 1

Has iocosas chartulas delineaverunt Iacinae VERREET discipuli, qui, iuvante magistra, libellos "NUNC EST GAUDENDUM" conficiunt. Quas chartulas, ad vota in futurum annum aptas, emolumento suorum operum Latinorum dividunt.

Involucrum cum sex diversis chartulis venumdatur 120 frB. Si quis eas accipere cupit, pecuniam mittat ad computum 001-1918158-59 cui index "Nunc est gaudendum".

